QVAESTIO MEDICA,

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE MERCVRII XXIV. NOVEMBRIS, M. ANTHONIO SVART, DOCTORE MEDICO MODERATORE.

703.

An Apoplexiæ Iugularium sectio?



EREBRVM nobilissimum ac supremum corporis membrum, frigidum, humidum, molle, glandulosum, homini quàm reliquis animantibus amplissimum, prima & præcipua animæ rationalis sedes, neruorum origo, omnium sensuum (expers licèt sensus) principium; quamplurimis affectibus, ceu crudelissimorum hostium incursionibus continenter patet: Cephaleæ (arteriotomiâ, modiolo suturis admouendo, crassæ meningis punctione) curandæ: Epilepsiæ (quam ne in puero quidem vana & ridicula alces vngula amouere potest) caro, lethargo, paralysi, vertigini, quæ in decrepitis stupori succedens proximam minatur syderationem, hoc est vehementem ac repentinam totius corporis paralysim cum aphonia cæterarúmque functionum animalium deperditione, ab exacta omnium cerebri ventriculorum obstructione natam.



POPLEXIÆ vt & omnium morborum causæ ἀπὸ τῶν ἐνόντων καὶ ἀπὸ τῶν ἔξωθεν originem ducunt: externæ sunt diæta, cælum, ictus, casus, quæ vel multam pituitam sanguinémve congerunt & generant; vel partes nobiles debilitant; vel humores fundunt & commouent: internæ plethora & cacochymia: vtraque quadruplex (venæ sectione profliganda) quæ obstructionem pariunt, vel ventriculorum cerebri à quolibet humore, flatu, tumore phlegmonώδη; frequentiùs tamen à sanguinis copia vniuersam cerebri substantiam inundante (ruptâ, exesâ, vel apertâ venâ) exitu ad sensoria spiritus animalis denegato: vel carotidum quæ vitali ad cerebrum viam præcludit, ijs potissimum quibus caput naturâ densum, crassum, rotundum, collum breue, aut angusta ceruix concessa est, repletis nimium, obstructis, compressis quæ illac feruntur arterijs ac venis Iugularibus.



ALI moris hic morbus, omnium cerebri grauissimus, contagio febréque carens quamuis peracutus, in quo æger quasi ictus fulmine, omni collapsa animalitate repente concidit, cum grauissimo stertore sublimi & difficili respiratione (à mortuo, caro, hysterica suffocatione, pulsu valido & pleno, & à syncope dissidens) breui, si κυρίως periturus, maximè cum spuma circa os apparuerit: secus verò si debilis, quem peperit cerebri compressio & venarum Iugularium ἀπόληψις, conualiturus: cuius non sunt immunes, imò vere & æstiuis ardoribus facillimè omnium incurrunt iuuenes, ephœbi, popinones, mulieres quæ nec periodicè nec liberaliter purgantur, ac quibus per os, nares, aures, hæmorrhoides, suppressa est solemnis aliqua vacuatio.



VIVSCVMQVE verò ætatis, sexus, regionis, temperamenti, ægrotantem prehenderit apoplexia (quamuis debilis) præceps affert suffocationis periculum, ni obstructarum venarum libertas phlebotomiâ comparetur, vel paralysis aut hæmorrhoides superuenerint: hinc viri quàm mulieres, iuuenes quàm pueri aut senes, carnosi quàm macilenti ac conualescentes, dormientes quàm cum perfrictione, torpore & sudore diaphoretico vigilantes, correpti, vere & æstate, quàm autumno & hyeme faciliùs defungentur.



ANGVIS venas, Iugulares dictas, à ramo superclauio ortas, copia & anadrome distendens, & supra modum implens, ne partem principem in quam irruit, prorsus inebriet, quandiu ex superstite respiratione aliqua salutis spes affulget, vnicâ & singulari phlebotomiâ, in omni apoplexia ex alterutra Iugulari pluries repetita, eáque angusto foramine digiti distantia intra angulum maxillæ inferioris celebranda, nullo etiam præmisso enemate, quouis tempore, qualibet hora, ad præsentis curationem, impendentis præcautionem quamprimùm securè vacuandus, reuellendus, deriuandus, atque pro imperantis Medici prudentia medicamento Galeni, conuenienti ligaturâ, asseribus vtrimque ad collum applicatis supra iugulum à clauiculis ad aures, & à sterno ad mentum, cohibendus: qua arte sublatâ sanguinis copiâ, tensione remissa, calore ventilato, vasis & spiraculis reseratis, ab imminente cum suffocationis, tum apoplexiæ periculo æger liberabitur.

Ergo Apoplexiæ Iugularium sectio. 149

Proponebat Lutetiæ HVGO CHASLES Parisinus, A. R. S. H. M. DC. XXVII.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Carolus Guillemeau.
M. Franciscus Mallet.
M. Iacobus Iouuin.

M. Petrus Sauare.
M. Hermannus de Launay.
M. Philippus Harduinus de S. Iacques.

M. Michael de la Vigne.
M. Ioannes Perreau.
M. Franciscus l'Espicier.